EPITHALAMION IN HONOREM NUPTIARUM CLARISSIMI ERUDITIONE...

Lorenz Fabricius



EPITHALAMION.

QVisquis ades faueas nobis, dũ carmina nuptis
Pauca damus, castus quos sociauit amor.
Nunc Elbinga quibus riguis vberrima campis
Solenni thalami gaudia more parat.
Dum sene Phillyrio Phœbus post terga relicto
Æquorei accedit cornua torua capri.
Finit vbi veterem deductis mensibus annum,
Et nouus obliquum suscipit annus iter.
Quando autem series formosa volubilis annj
Plurima de thalami nos ratione monet.
Quæ meminisse iuuat sociali fœdere iunctos,
Infestant quoties tristia damna torum.
Pauca mihi libet è multis proponere versu,
Quæ thalamum poterunt forte decere nouum.
Tu modo sponse, mihi es multos qui cognitus annos,
Accipias placida carmina missa manu,
Annus vt in medio sumit primordia Brumæ,
Aëreo cum nix mollis ab axe ruit.
Cum liquidi fontes concrescunt frigore, & amnes,
Hybernusq; solet longior esse dies.
Sic quando primum iungunt pia fœdera amantes,
Et liciti subeunt vincula casta tori.
Protinus apparent ingentes vndique curæ,
Quæ varijs turbant anxia corda modis.

Aspera

Aspera paupertas stimulis pungentibus vrget,
Duraq; ieiuno sæuit in ore fames.
Et sese produnt hominum tormenta labores,
Et dolor, & misero crux odiosa toro.
Sed velut æthereos obliquo colle per orbes
Cynthius ad cœli limina ducit equos.
Nec metuit tropici curuis anfractibus hirci
Cornua, qui dura prælia fronte mouet.
Nec timet, ingenti quam fundit Aquarius vrna,
Insanam veteris Deucalionis aquam.
Nec gelidos horret, moueant licet æthera, pisces
Vltima qui Brumæ regna rigentis habent.
Sic quoque consortes sudant in paupere lecto,
Ad pia quos thalami pacta coëgit amor.
Paupertas liceat primis conatibus obstet,
Mœstaq; solicito corda pauore premat.
Ærumnæq; graues curis ingentibus adsint,
Et subito accelerent plurima damna pede.
Non tamen abrumpunt veneranda cubilia lecti,
Sed socia vincunt tristia damna fide.
Deuotisq; animis cœlestia numina adorant,
Et sperant rebus mollia fata suis.
Ipsi etiam subeunt infracta mente labores,
Fessa licet salsus sudor in ora fluat.
Et iuga quò dubiæ poßint auertere sortis,
Non quærunt sapidi fercula lauta cibi.

Sed gelido amne sitim compescit Aquarius acrem;
Et modico tentant soluere pisce famem.
Hinc vbi iam Titan deuicit tristia Brumæ
Signa, caprum, pisces, & Ganymedis aquam:
Altius ingreditur, radijsq; nitentibus orbes
Explicat, & niueis sidera lustrat equis.
Trux vbi Phryxæa Cælo se portitor Helles
Tollit, & hirsutum figit in axe pedem.
Aurea sed postquam lustrauit vellera curru
Cynthius, & placidæ templa reliquit ouis.
Alligat ad tauri tandem præsepe quadrigas,
Lucida qui nitidis cornibus astra ferit.
Hinc saturas stabulis educit ad ardua fratrum
Limina, quæ pauidus nauita signa timet.
Hæc pater Heliadum cœli dum signa pererrat,
Optima purpurei tempora veris eunt.
Et noua se facies astris felicibus anni
Egerit, & retro dura recedit hyems.
Sic vbi dura nouus superauit fata maritus,
Paupertasq; aliquo cessit egena modo.
Improba non pulchram deflectit ad ocia mentem,
Lassa nec inceptum dextra remittit opus.
Sed curas vrget, durisq; laboribus instat,
Acta regens vitæ cuncta timore Dei.
Nec frustra curas tolerat, magnosq; labores,
Sed cumulat largo fœnore parcus opes.

Lanigeras

Lanigeras primum viridi compellit bibisco
Pauper, & herboso gramine pascit oues.
Inde feros habili tauros adiungit aratro,
Impressoq́ rudes vomere sulcat agros.
Attalicas donec componat diuite censu,
Aut quales habuit Cræsus auarus opes.
Nam velut à tenero sumunt exordia fonte
In mare quæ multis flumina aguntur aquis:
Sic etiam à minimis surgunt ingentia rebus,
Qui bene pauperiem ferre scit ille sapit.
Optima pars anni cum ver geniale recessit,
Et vestita nouis frondibus arbor erit.
Sol vagus accedit curuantem brachia cancrum,
Obtinet in summa qui ditione locum.
Vnde potest totum metiri lumine mundum,
Rex velut in summa qui sedet arce poli.
Ille sed octipedis pulchro digressus ab astro
Magna Molorchæi terga Leonis adit.
Inde quod inuerso temone reflectere currum
Cogitur, ardentes ventilat igne comas.
Conaturq́ suis flammis incendere cœlum,
Strataq́ per rapidas arua cremare faces.
Virgo sed amplexu spumantes igne iugales
Lenit, & imponit spicea serta iubis.
Et tristes animi motus componit, & iram,
Blanditijs iungens oscula mille suis.

 Sic

Sic vbi coniugibus feliciter omnia cedunt,
Prouehit & castum mitior aura torum.
Concipit ingentum tunc mens oblita dolorum
Gaudia, nec meminit triste quod ante fuit.
Lætaq; ceu viridi cantat Philomela sub vmbra,
Mens pia deuoto pectore grata Deo est.
Et fruitur rebus multo sudore paratis,
Et miseris confert plurima dona viris.
Quando sed aduerso incipiunt succumbere motu
Omnia, & in peius turbine cuncta ruunt.
Mox Leo terribilis Stygia progressus ab vmbra
Consuit incautis callidus arte dolos.
Et totum miscet studijs discordibus orbem
Alter vt alterius saucius ense cadat.
Decrescant vt opes, & egens penuria rerum
Afficiat sanctos esuriente fame.
In tali quando luctatur turbine coniux,
Et sua sollicito corda timore pauent.
Fida tori consors dulci cum prole maritum
Erigit, & tollit spe meliore metum.
Ne nimium luctu mentem despondeat ægro,
Numinis at magno pectore speret opem.
Hinc vbi calcatis Autumnus sordidus vuis
Fœcundi ruris poma ministrat opes.
Auricomus Libræ lances concedit ad æquas,
Pendula quæ pluuias Libra profundit aquas.
Longius

Longius at quando noctis se porrigit vmbra
Scorpius ardentes excipit acer equos.
Qui licet intendat Phœbi confundere vultum,
Dum duplici cauda dira venena mouet.
Attamen ille nequit turbare è sedibus altis
Solis anhelantes mortifer vngue rotas.
Æmonij donec victus Chironis ab arcu
Regna caput Phœbus condat in ima Capri.
Sic Deus, æquali qui ponderat omnia lance
Facta hominum, donat plurima dona pijs.
Afflictisq; statim cœlestem cordibus imbrem
Suggerit, & pulchro sydere præstat opem,
Et quamuis homines morbis tentantur acutis
Sæpius, in socio quos iuuat esse toro.
Et late inficiant contagia dira penates,
Quæ varijs spargunt dira venena modis.
Non vis vlla tamen morbi violare iugales,
Soluere nec possunt cruda venena torum.
Ni Deus à cuius nutu mortalia pendent
Conditor humani sanguinis ipse velit.
Et licet Oceani motor Capricornus aquarum
Arceat à cœli limine Solis equos.
Attamen ascendunt fatis vrgentibus orbes,
Et referant annj grande sequentis iter.
Sic mors atra licet castos dissoluat amores,
Dulciaq; audaci stamina falce secet.

Tempus

Tempus erit, nec abesse procul reor, omnia tumbis
Corpora cum surgent contumulata cauis.
Lætaq; traducent felicis sæcula vitæ
Astra super stando cominus ante Deum.
Non illic Capricornus erit, non Scorpius ardens,
Non Leo, nec pendens amphora fundet aquas.
Sed pax, alma quies, æternæ gaudia vitæ,
Et iocus, & constans numinis ardor erit.
Hæc ego de cursu Phœbi nascentis, & annj,
In laudem scripsi sponse diserte tuam.
Cum tibi nunc sacras virgo sociatur ad aras,
Lactea fœminei virgo pudoris amans.
Vt, quoties anni metas & sidera spectas,
Legitimo reputes plurima digna toro.
Nam veluti rapidis peraguntur cursibus anni,
Et varias anni sustinet ordo vices.
Sic quoque coniugij non est sors vnica sancti,
Sed dubia & vanas spes fluibunda tenet.
Hanc tamen vt superes salua cum coniuge sortem,
Ac videas seriem posteritatis auus.
Qui thalamum sanxit, metas conseruat & annj,
Optimus æthera faxit ab arce DEVS.

FINIS.

